

90. Sed bene habet: Brutum hoc est fulmen. Scriptura sacra talem Confessionem Auriculariem, qualis à Pontificijs describitur, neque juris divini neque à Christo institutam esse, testatur: neque ab universa Ecclesia illam semper retentam fuisse probari potest.

91. Quod si enim Iuris divini ea est, monstrant expressum verbi divini mandatam: monstrant promissiones ei factas: monstrant exempla Sanctorum hominum, quorum Pænitentia tali confessione nitatur. Quod dum præstare nequeunt, putridam & putidam suam causam satis produnt.

92. Meminerint enim, quid Panormitanus (super cap. Omnis utriusque: de pæna & remissione:) definiverit, nempè Confessionem auriculariem non esse Iuris divini, sed humani.

93. Cui adspicatur Ius Pontificium, quod in glossa decreti de pænit. dist. 5. cap. 1. sic habet: Melius dicitur, Confessionem institutam esse à quadam generali sive universalis Ecclesiæ traditione, quam ex veteris aut novi Testamenti autoritate.

94. Sic de universalis Ecclesiæ consensu, quo Confessio isthac Auricularis probari queat, quod garriunt Romanenses, nimis dilutum est.

95. Quemadmodum enim in primitiva Ecclesia quoddam fuit Confessionis privatæ genus, quo pænitentes presbytero graviora delicta, quibus Ecclesiam offenderant, in specie confitebantur:
tamen